

CONCIO VIII.

CONCIO VIII.

MYSTERIA.

I. Cur solus absuit Thomas? — II. Cur noluit credere discipulis? — III. Cur post octiduum, non mox apparuit Christus? — IV. Cur Thomam non asperius reprehendit? — V. Quomodo credidit Thomas, si vidit? — VI. Quomodo beatiores qui non viderunt et crediderunt? — VII. Quid illud: *Dominus meus, et Deus meus?* — VIII. Cui labi permisus Thomas? — IX. Fides in Christum an necessaria ad salutem?

THEMA.

Post dies octo iterum erant discipuli ejus intus.

Joan. XX.

Præclarum nobis exemplum dant hodie apostoli qui in die dominica rursum congregantur in domum, ubi cœnam celebraverant, undique clausam, præstolantes adventum et conspectum Christi. Hinc enim monemur nos primo, convenire in domum Dei, ubi cœna Domini celebratur, diebus præsertim dominicis. Deinde, ibidem considerare magna collectione, ita ut sensus omnes velut januas claudamus, rebus iis, quæ fornicatus aguntur: solum vero Christi Domini nostri adventum et aspectum in s. missa præstolemur, necnon arrectis auribus sermonem ejus audiamus. Id quod nunc faciemus.

I. Cur aliis apostolis congregatis absuit solus Thomas? Respondet S. Chrysost. homil. LXXXVI. in Joan. et postillum Theophyl. et Euthymius probabile esse, quod tunc ex fuga nondum redierit. Tametsi enim Luc. XXIV. dicuntur seminæ undecim discipulis nuntiasse Christi resurrectionem, non tamen inde sequitur Thomam interfuisse; numerus enim undenarius tunc erat numerus discipulorum, licet non omnes simul essent; quomodo etiam in hodierno evangelio dicitur Thomas unus ex duodecim. Ex hac ergo sententia sequitur Thomam longius profugisse, vel saltem diutius latuisse, quam cæteros discipulos, illum, inquam, Thomam qui paulo ante cæteris cordatior dicebat: *Eamus et nos et moriamur cum eo*, Joan. XI. Unde discimus non presumere nimium de nostris viribus. Duo illi discipuli Petrus et Thomas quo fortiores sese existimabant, eo gravius lapsi sunt et imbecilliores sese deprehenderunt: *Fili Ephraim intendentes et militantes arcum, conversi sunt in die belli*, Ps. LXXVII. Ergo nobis ipsis diffidere et in Deo solo confidere debemus, si vinci a tentatione nouimus.

II. Quare Thomas noluit credere discipulis Christi resurrectionem asserentibus? Respondetur

Thomam nequaquam existimasse discipulos mentiri, cum dicebant se vidisse Christum; sed formidasse ne forte decepti essent, et spectrum tantum seu Christi defuncti animam, non ipsum Christum resuscitatum vidissent; quomodo et reliqui discipuli primo existimabant se spiritum videre, cum viderunt Christum, Luc. XXIV. Atque hoc probabiliter existimat Cyrillus fecisse Thomam partim præ mœrore, quod absuerit et oculis suis Dominum non viderit: ex quo perturbatus forsitan existimabat se eum in vita nunquam visurum; partim præ gaudio, ob lætissimum nuntium, quod summo desiderio expectabat; quomo modi et alii discipuli non credebant et mirabantur præ gaudio, Luc. XXIV. Ita etiam nos rem miram et insolitam, præsertim, valde desideratam, non credimus sub initium, donec videamus. Probabile igitur etiam est gravem culpam a Thoma absuisse. Et tamen ut ab eo labem illam qualcumque abstergeret Deus, in ejus gratiam rursus apparuit. Unde discimus etiam leviores maculas cavere et contractas cito emendare. Communior interim sententia est fuisse in Thoma peccatum mortiferum infidelitatis, quam et supra supposui.

III. Cur non statim, sed post octiduum primum apparuit Christus Thomæ? Respondetur primo, ut dum ille diu dubitare permisus est, fides resurrectionis Domini in nobis magis solidaretur. Quis enim jam non cedat, cum audit diuturnam Thomæ incredulitatem pervictam esse?

Secundo, ut coram discipulis congregatis profiteretur Thomas fidem resurrectionis; fieri autem poterat ut nonnisi post octo dies discipuli in eadem domo congregati essent. Unde discimus eos, qui publice delinquent et alias scandalizant publice penitentia et publica resipiscentia exempla dare debere.

Tertio, ad honorem diei dominicæ, quam prævidit Dominus resurrectioni suæ dicandam, apparitionem hanc distulisse.

IV. Quare Christus Thomam non asperius reprehendit? Resp. primo, quia, ut supra vidi mus, probabiliter culpa ejus gravis non fuit, sed ex mentis perturbatione, mœrore vel gaudio profecta.

Secundo, ut servaret decorum personæ apostolicæ, præsertim in loco publico. Duos illos discipulos itinere Emmaunico asperius reprehendit, sed illi non erant apostoli, et privata erat reprehensio. Ergo publicæ personæ in dignitatibus constituta blandius arguenda sunt; quemadmodum et illi qui publice arguuntur. Novimus Aaron sacerdotem æque ac sororem Mariam murmurasse contra Moysen, hanc tamen propterea lepra pū-

IN FESTO S. THOMÆ APOSTOLI.

nitam esse, non illum; ob reverentiam sacerdotalis dignitatis scilicet, Levit. XII.

V. Quomodo credidit Thomas, si vidit? Respondet. credidisse duplice sensu. Primo, juxta vulgarem loquendi modum; quia scilicet resurrectioni Christi, quam oculis vidit assensum dedit eamque confessus est. Secundo, proprie et fide divina quia scilicet *hominem vidit*, ut inquit Sanctus Gregorius, hom. XXVI. in evang. et *Deum confessus est*, credit eumdem propria virtute et potentia (quam non vidit) surrexisse.

VI. Quomodo beatiores Thoma ii, qui non viderunt et crediderunt, si et ipse credit? Respondetur, quia reliqui Christiani credunt Christum esse Deum, eundemque a mortuis resurrexisse, tametsi eum non viderunt resuscitatum: Thomas vero credit, quia redivivit vidit.

Alio vero ex capite fides nostra superatur a fide apostolorum; tum quia fides illorum ferventior erat, quam nostra; tum quia nos habemus aliud majus fidei argumentum, videmus enim consensum totius orbis per annos 1800.

VII. Quid illa verba: *Dominus meus et Deus meus?* Respondetur, Thomam concisa hac oratione exprimere voluisse, partim magnitudinem gaudii sui, quod percepit ex aspectu Christi redivivi: partim potentiam divinitatis, quia seipsum a morte suscitavit. Solemus enim res magnas et inexplicabiles vel silentio, vel concisa oratione explicare. Voluit ergo dicere: Vere tu es Dominus meus, charissimus, desideratissimus, sed et Deus meus, qui potentia divinitatis tuae mortem superasti. De primo concepit summum gaudium, de secundo summam admirationem. Gaudium illud haud dubie non permittasset Thomas cum totius mundi deliciis; quid ergo erit videre Christum in cœlesti gloria? Quid erit videre glorificatum semetipsum? Demonstrat nobis etiam his verbis Thomas fundamentum fidei nostræ, humanitatem scilicet et divinitatem Christi, quasi duos populos firmamenti et religionis nostræ, quibus ipsa innititur. Horum prior in hoc sæculo, quasi in nostro hemisphærio nobis manifestus est: alter vero occultus, utpote solis beatis in altero sæculo patens.

VIII. Quare permisus Thomas labi in incredulitatem? Respondetur primo, in bonum ipsius Thomæ, primo ut metiretur vires suas et agnosceret fragilitatem suam. David ante lapsum impeccabilem se existimabat: *Dixi, in excessu mentis meæ, inquit: Non movebor in æternum*: post lapsum vero ait: *Avertisisti faciem tuam a me, et factus sum conturbatus*: et alibi: *Bonum mihi quia humiliasti me*: similiter et Thomas ante passionem Christi, capitaneum se monstrabat cum dice-

rct: *Eamus et nos et moriamur cum eo: nunc vero post lugam suam nihil aliud novit dicere, nisi: Dominus meus, et Deus meus*. Sic Petrum, sic Moysem, summa capita Deus in aliquo labi passus est, ut homines se agnoscerent, non angelos, non Deum esse: « Nam in nullo penitus errare, divinitatis potius, quum mortalitatis est, » ait Justinianus imperator. Secundo, ut fortior resurget, lapsusque majore industria compensaret, quo modo equus cespitans colligit sese et passum accelerat.

Secundo, in bonum aliorum pœnitentium, ut in hos misericordem se exhiberet Thomas velut qui et ipse olim lapsus est. Simili casu eruditus Petrus, qui ante lapsus difficile putabat remittere septies in die, poste tam benignus erga lapsos factus est, ut excusat aliquo modo peccatum crucifixionis, quod in Christum admiserunt Judæi, quasi ex ignorantia profectum, Actor. III.

Tertio, in bonum nostrum, ut inde primo in fide magis solidaremur. Qua de causa ait S. Gregorius, magis profuisse nobis Thome infidelitatem, quam fidem credentium apostolorum, hom. XXIX. in evangelio. Secundo, cautoles fieremus et cum timore et tremore salutem nostram operaremur.

IX. Estne fides in Christum omnino ad salutem necessaria? Vel sufficitne credere in unum Deum et simul honeste vivere? Respond. hoc non sufficere, fidem in Christum etiam requiri. Primo, quia si quilibet Turca vel Judæus in sua fide salvari posset, frustra apostoli et patres in fide Christi asserenda laborassent, frustra ei martyres sanguine suo subscriptissent, immo Christus frustra fuisset: sufficeret mitti a Deo aliquos, qui cognitionem unius Dei prædicarent; ut argumentatur apostolus ad Gal. II. *Si per legem justitia, ergo gratis Christus mortuus est*. Deinde, falsa et vana esset Scriptura, quæ Christum asserit nostrum redemptorem et mediatorem, cuius sanguine ablui, cuius fide justificari, in cuius nomine salvari debemus. Tertio, si quilibet in sua fide salvari potest, ergo sufficit ad salutem quævis humana fides et persuasio tantum. Turce enim, etsi credunt unum Deum omnium conditorem et remuneratorem, non id tamen fide divina credunt; sed quia sic Mahometus in suo Alcorano tradidit, in quo tamen plurima falsa docuit, uti Mahometum esse Dei prophetam, etc. similiter Judæi quæ credunt ideo credunt quia illorum Rabbini ita Scripturas exponunt. Fundamentum ergo illorum vanum est, quia ratio credendi seu regula fallax. Denique, hac sententia posita, nullum erit discrimen inter Turcismum, Judaismum et Christianismum, nisi in quibus.

dam adiaphoris ad salutem non pertinentibus, et perinde erit sequi hanc vel illam sectam. Mīrum igitur est inveniri aliquos hoc tempore, qui sentiunt quemlibet in sua fide salvari posse. Ratio, qua moventur, est, quia incredibile existimant, omnes Judæos et Turcas, quorum plurimi Deum pie colunt et innoxie vivunt, in æternum perire, solum eo nomine, quod in Christum non erediderint, cum tamen in hoc videantur excusandi, siquidem a teneris non sunt aliter instituti, et pro captu suo faciebant id, quod poterant. Non ergo tam angustam cœli portam faciendam, ut hi omnes excluduntur tanto numero. Verum hæc ratio nihil urget. Nam primo, si non est incredibile Deum per aliquot annorum millia reliquise mundum pene totum (excepta nimis plebe Judaica) in tenebris idolatriæ, in quibus certo perierunt, facile etiam sibi persuadere qui-

que potest, idem contingere nunc Judæis et Turcis. Secundo, Turcæ et Judæi hoc tempore multo minus excusari possunt, quod in Christum non credant, quam olim ethnici, siquidem illi fidem Christi facile indagare et addiscere possunt a Christianis, qui inter ipsos degunt, hi vero non item poterant, utpote tenebris undique obsessi et communis consuetudinis æstu ad patrios ritus abrepti. Denique, si sunt aliqui, qui de Christi religione nihil audierunt, nullumque ad eam quærarendam et amplectendam stimulum senserunt, ii non damnabuntur ob infidelitatem, sed ob alia peccata, quæ contra legem naturæ commiserunt; si talia non commiserunt vel a Deo illustrabuntur ut veniant ad cognitionem fidei, vel si moriantur in naturali illa innocentia, pœnam damni tantum incident, non sensus in altero sæculo.

AUCTARIUM.

CONCIO I.

PLURES IN MUNDO DIDYMI.

Thomas tripliciter Didymus fuit. — I. Tales appellantur bicordes. — II. Tales bilingues. — III. Tales bicipites.

THEMA.

Thomas autem, qui dicitur Didymus, non erat cum eis quando venit Jesus. Joan. XX.

Quid est, auditores, quod Joannes solius Thomæ nomen interpretatur, et hoc quidem sæpius, uti Joan. c. XI. rursum, c. XX. denique, c. XXIV? Respondet ad hoc Theophylactus, id Joannem fecisse, ut significantur ejus mores, quod scilicet esse Didymus, hoc est, gemellus, varius, inconsans, dubius, duplex. Fuit sane gemellus, seu duplex, aliquando Thomas; habuit enim duo corda, unum audax et animosum, quando Joan. XI. dixit: *Eamus et nos, et moriamur cum illo;* alterum fugax et pavidum, quando Christum in Oliveti monte deseruit, et longius quam alii profugit. Habuit et duo capita, unum, quo creditur condiscipulis asserentibus Christum in cruce clavis et lancea perfossum; alterum, quo credere noluit asserentibus eum resurrexisse, et sibi apparuisse. Habuit et linguas duas, unam antequam videret Christum, qua dixit: *Non credam;* alteram postquam vidit, qua ait: *Dominus meus et Deus meus.* Et vobis Didymum jure merito a Joanne ter hoc nomine nuncupatum, quia ter du-

plex fuit. Sed non est quod hoc Thomæ succedamus, quasi solus ipse talis aliquando fuerit: sunt adhuc complures hujusmodi inter Christianos, uti nunc videbimus.

I. Didymi appellari possunt bicordes, qui se contrarii partibus accommodant, cum catholicis catholice, cum hereticis heretice vivunt; cum castis caste, cum incestis inceste; cum Deo et diabolo se conformare volunt. Similes Paphlagoniæ perditibus, quæ duplex habent cor, teste Plinio, l. XI. cap. XXXVII. Tales sunt in primis secundum D. Augustinum, tract. VII. in l. cap. 8. Joan. qui, Christiani cum sint, dæmonem per sortilegia et incantationes interrogant, ut futura sibi indicet, vel rogant ut suis malis medeatur; quod sane hodierno dia cum ingenti S. Thomæ injuria faciunt aliqui juvenes et juvenculæ. Audiant ergo isti S. Augustinum: « Non vult Christus communionem, sed solus vult possidere quod emit. Tanti emit, ut solus possideat: tu facis ei consortem diabolum, cui te per peccatum vendisti. Væ dupli corde, qui in corde suo partem faciunt Deo, partem faciunt diabolo. Iratus Deus, quia sit ibi pars diabolo, discedit, et tunc diabolus possidebit ». Sic ille. Secundo, qui diversis sectis se accommodant. Qualis fuit ille consiliarius Elisabethæ reginæ Angliæ, qui rogans quemdam, quid de se sentirent transmarini (volet enim videri orthodoxus, cum reginæ obsequeretur), respondentem audiit: *Domine, dicunt te imitari planetas; qui præter motum proprium sinunt se*

IN FESTO S. THOMÆ APOSTOLI.

153

*rapi motu primi mobilis, apud Corn. a Lap. in Eccl. c. II. Ubi ait Ecclesiasticus de talibus: Væ dupli corde. Qua voce videtur minari Samaritanis, qui modo ibant in Jerusalem ad adorandum Deum verum, modo in Dan et Bethel, ad colendos vitulos aureos: sentiebant partim cum gentilibus, partim cum Hebreis. Quod admodum turpe esse indicat vel Samaritana illa, quæ audiens Christum petere a se aquam, mox ei objecit: Quomodo tu, Judæus cum sis, bibere a me possis, quæ sum mulier Samaritana? Joan. IV. quasi diceret: Qua fronde, qua audacia cum Samaritanis communicare audes? Hinc ipsi Samaritani, propter eam duplicitatem infames, et omnibus exosi erant, tam gentilibus quam Judæis, quod ex parte cum utrisque cum neutris plane sentirent: similes inquilino, qui in media domus contignatione habitans, ab inferioribus fumo vexatur, a superioribus lotione perfunditur, ut dicebat Alponsus rex Aragoniæ de neutralibus, apud Panorm. in ejus gestis. Acrius Elias invehitur in tales Judæos, qui Deum verum colere se profitebant, ea tamen in gratiam Achab et Jezabelis, ad idolum Baal supplices accedebant: Usquequo claudicatis in duas partes? Si Dominus est Deus, sequimini eum: si autem Baal, sequimini illum, III. Reg. XVIII. Quod quidem mirandum est: quasi melius sit sequi solum Baal, quam Baal simul et Deum; et tamen a ratione non alienum, quia tales nec Baal nec Deum querunt, sed seipso. Utrique ergo impununt. Nolebant illi offendere Baal, ob timorem regis et reginæ: timebant etiam offendere Deum, ne ab illo punirentur; neutrum ergo amabant, sed timebant serviliter, quia seipso tantum amabant. Hoc est, quod Latini dicunt: *Duabus sellis sedere*, quod sane fieri nequit. Sed neque coram mundo successum habent isti gemini homines, teste eodem Ecclesiastico, c. III. Cor ingrediens duas vias, non habebit successus, et pravus corde in illis scandalizabitur. Quia scilicet contrarii dominis se volens accommodare, dum uni vult placere, alterum offendat, ejusque iram incurrit necesse est. Hinc proverbium: *Qui duos inseguunt lepores neutrum capit.* Aristoteles, l. XVIII. de animal. ait: Inveniri animalia monstruosa, quæ duo habent corda, pectora, capita, sed illa diu vivere negat. Idem jure timeant, qui duplex habent cor, ne mors eis immineat: *Væ enim dupli corde.**

II. Tales et bilingues, quorum typus est gens in australi quadam insula, de qua Diodorus Siculus, lib. III. scribit, quod ab ima fauce lingam naturaliter divisam, tamque volubilem habeat, ut non tantum humanas omnes voces, sed quarumvis avium cantus imitari, et unus quidem

ex illa gente duobus commode respondere possit. Pulchrum certe figmentum, huic tamen loco accommodatum, bilinguem hominem describens, qui ex eodem ore contraria, huic nigrum, illi album; modo bona, modo mala loquitur; palam laudat, clam vituperat; aliter in praesentia, aliter in absentia; aliter apud hunc, aliter apud alium loquitur de eodem. Primo ergo, quidam absentiis detrahunt, praesentibus laudes canunt, vel saltem mutiunt sicut ranæ, quæ, appropinquante homine, silent, recedente vero, clamores extollunt. De quibus dicitur Prov. XXVII. Qui benedit proximo suo voce grandi, de nocte consurgens, maladicenti similis erit. Tales erant Pharisæi, qui in faciem quidem Christum laudabant: *Magister, scimus, quia verax es, etc.* Matth. XXII. a tergo vero culpabant. Secundo, alii eodem ore modo laudant, modo vituperant eamdem rem, ad instar illius Satyri Æsopici. « Viator quidam, a Satyro invitatus, cum eo comedebat. Hiems vero et frigus cum foret, homo manus suas admotas ori afflabat. Rogante autem Satyro quam ob causam hoc faceret, ait: Manus meas calefacio propter frigus. Sed paulo post edulio calido allato et ad eo admoto, rursum insufflat. Quod cur faceret interrogatus, ut frigescat, inquit. Tum continuo Satyrus viatorem ejiciens: Nolo, inquit, in meo sit antro, cui tam diversum est os, ex quo calidum prodit et frigidum. » Voluit auctor hoc apostolo docere, non esse tolerandum in convictu et societate, qui contraria ex eodem ore loquitur. Confirmat idem Sapiens, Prov. VIII. *Viam pravam et os bilingue detestor.* Talis fuit improbus ille propheta, III. Reg. XIII. qui ex eodem alteri simplici prophetæ primo, denuntiat Dei iussionem, ut manducet; postea, Dei indignationem, quod manducaverit contra ejus præceptum. Tertio, qui aliter huic, aliter alteri de eadem re loquuntur, ut inter eos inimicitias serant. Quod etiam per apologum depingit Phædrus, libertus Augusti imp. in suis mythis, apud Pithæum. « Aquila, inquit, in arbore nidificans, pullos excluderat; ad radices arboris aper suos in antro fovebat catulos: inter utrumque felis suos alebat fetus. Illa sibi suisque tam ab aquila, quam ab aper metuens, aquilam adit, indicat hostem subesse aperum, qui arborem eversurus sit; ab eo sibi suisque caveat. Adit deinde aperum, idem illi de aquila intentans: Cave, inquit, ne aquila antro tuo superne incubans, catulos tuos rapiat. Ita aquila timens aperum, et aper timens aquilam, uterque nido se continuit: quo factum, ut uterque fame cum fetibus conficeretur. Feli ergo uterque in pabulum cessit. Ita bilinguis duos inter se committit, ut se mutuo confiant; eorum